



1. Boeck / Friderici Samuelis / Diss. De Notione
Immensitatis Dei amplificanda Comⁿ
templatione magnitudinis Mundi.
Regiomonti 1766. Autor G. C. Rerhard.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevanⁿ
gelium Genesios Cap: 22 Vers: XV. Helmⁿ
stad: 1763.
3. Bochner / D. Philip Adolph: / programma, de
Christo filio Domini, Halle 1765.
4. ————— programma, addita est illustratio
addita est illustratio loci 1 Corinthi 20, vers, 51,
Halle 1766.
5. ————— programma in Commentationem ad
illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Buchner / D. Andreo Elie: / programma in
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / Joh: Tob: / programma paracliti
Appellatione Spiritui Sancto tributa,
Halle 1764.

PROGRAMMA
DE
STELLA QVAE MAGIS
NATO CHRISTO

APPARVIT,
FERIIS NATALITIIS

PROPOSITVM

RECTORE ET SENATV
ACADEMIAE REGIOMONTANAE

ANNO



MDCCLXVI.

REGIOMONTI,
TYPIS HARTVNGIANIS.

Aut. J. Gottl. Christian Reicard



2
M²emorabilibus natiuitatis Iesu Christi iure adnumeratur Magorum ex oriente in Iudaea aduentus, susceptaque ab ipsis Soteris recens nati adoratio. Vnicus inter historiographos theopneustos Matthaeus huius facti mentionem fecit eamque admodum breuem ac concisam. Tempore, quo Iesus Bethlehemi natus erat, Hierosolymam venisse dicit Cap. II. Magos ex oriente, quaerentes recens natum Iudaeorum regem, cuius stellam in oriente viderant, Herodem regem hac re audita perterritum & a sacerdotibus scribisque e vaticiniis veterum prophetarum instructum iussisse, Magos Bethlehemum proficisci, in hoc itinere iis iterum apparuisse stellam quam antea viderant, eosque, infantem cum Maria Bethlehemi inuentum, adorasse ac munera ipsi obtulisse.

Tria potissimum huius historiae sunt momenta, quae interpretum exercuerunt ingenia, natura scilicet stellae a Magis visae, patriam Magorum & tempus quo Hierosolymam aduenerunt.

Cum primum momentum astronomicis quibusdam disquisitionibus, si fieri potest, dilucidare nobis proposuerimus, exponendae prius sunt variae interpretum de Magorum stella sententiae celebriores, quas postea patria eorum item definita, diiudicabimus.

Stellam istam ex numero fixarum constantium & planetarum ordiniorum non fuisse, exploratum est. Alii igitur, veterum inprimis plerique, eam a Deo hunc solum in finem, vt Christi in terra apparitionem indicaret, recens creatam esse, imo Dei effigiem specie humana, vel infantem crucemque repraesentasse, eamque Hierosolyma Bethlehemum proficiscentibus Magis, e coelo descendisse & in vertice domus, in qua Christus natus erat, substituisse, postea vero in nihilum esse redactam existimarunt. Alii tanti miraculi inconuenientiam perspicentes, hanc stellam nihil aliud esse autumarunt quam splendorem angelos pastoribus Bethlehemiticis natiuitatem Christi annunciantes comitantem, eumque Magis lumen hoc e longinquo intuentibus speciem stellae praebuisse. Alii hanc stellam ad phaenomena meteorica atmosphaerae terrestriis retulerunt, & meteorum ignitum fuisse dixerunt, quod primum a Magis in aeris parte patriam ipsorum obtegente visum, iterum in regione Bethlemitica in conspectum eorum prodierit. Alii stellam istam fuisse cometam dixerunt, qui in altera orbitae ellipticae parte, qua ad solem accedebat, a Magis in oriente prima vice visus sit, postea vero per perihelium progressus & e radiis solaribus ipsum occultantibus emerisus, iisdem in itinere Bethlehemiico iterum apparuerit. Alii hanc stellam nec in coelo nec in atmosphaera expositam aut phaenomenon omnium oculis patens, sed lumen solis Magis per visionem ecstaticam conspicuum fuisse sibi persuaserunt.

Quae.

3
Quenam fuerit Magorum patria, hac in re opiniones eruditorum non minus differunt, quam in natura stellae ab istis visae, exploranda. Inter illas probabiliorem saltem quaeremus, antequam de his iudicium feramus.

Origenes alique veteris ecclesiae patres, inter recentiores vero Calmetus, Magos e Chaldaea venisse arbitrati sunt, nisi potissimum vaticinio Bileami de stella in Iacob ortura, quod ipsis innotuerit, immo non defuerunt, qui eos doctores iudaicos, Rabbinos scilicet synagogae Babylonicae fuisse contenderunt. Verum enim vero, si haec ita se haberent, perspici non potest, cur Magi isti rerum iudaicarum, crudelitatis Herodis peruulgatae & vaticiniorum veteris testamenti gnari, Hierosolymam & ad regem Herodem, nec statim Bethlehemum sese contulerint, quamquam haec opinio a multis perperam ex eo argumento reiiciatur, quod Chaldaea Iudaeis fuerit septentrionalis, sita enim omnino est in orientali plaga Iudaeae. Alii igitur maiore cum probabilitate patriam Magorum in Arabia felici & Sabaeorum quidem terra quaesierunt, quoniam haec terra thus & myrrhas producebat, Arabibusque ope commercii quod cum Iudaeis habebant illorum de Messia vaticinia innotescere poterant. Arabum tamen philosophos Magorum nomine a veteribus esse insignitos, quidam in dubium vocant, Matthaeumque hanc Iudaeis notissimam regionem, si peregrinatores hi ex illa aduenerint, nomine proprio indicaturum fuisse credunt, praeterea Sabaeorum regio Iudaeis magis versus meridiem vel potius versus Euroaustrum quam versus orientem sita erat. Itaque recentiorum & doctissimorum interpretum plerique Magorum patriam fuisse Persiam non absque rationibus firmioribus contendunt. Etenim Persarum philosophi & sacerdotes Magorum nomine appellabantur, munera ab ipsis oblata in hisce terris reperiebantur, consuetudo reges adorandi, oblati eiusmodi donis, Persis maxime erat solennis, & Persarum denique Magos a Daniele, qui ipsorum olim praefectus fuerat Dan. 2, 48, instructos esse Messiae seu regis Iudaeorum aduentum stella quadam extraordinaria indicatum iri, admodum probabile est, licet vaticinium hocce, sicut alia multa a prophetis veteribus edita, in scriptis eorum theopneustis non exhibeatur. Opus non est, ut de eorum sententia argumentis solidis plane destituta loquamur, qui Magos ex ultimis Indiae orientalis finibus producentes, eos tres reges Moluccarum insularum Ternatae, Tidorae & Batianae fuisse opinati sunt.

Cum inter diuersas hasce de Magorum patria sententias illa quam tertio loco posuimus reliquis multo sit probabilior, eidem adsentiri adeoque Magos e Persarum gente fuisse non dubitamus, eorum tamen in gratiam, qui eos Arabes fuisse malunt, duplicem in sequentibus computationem instituemus. Vnum addimus. Tum ex Daniele tum ex pro-

fana antiqui orbis historia constat Magos veteres plerumque in metropolibus aulisque esse commoratos, in consilium enim a principibus vocabantur, si magnae res erant gerendae. Supponemus igitur Magos, qui Hierosolymam venerunt, si Persae fuerunt, ex huius regni metropoli Susa, si Arabes fuerunt, ex vrbe Saba Arabiae felicitis metropoli esse egressos. His suppositis, primo distantias harum vrbiū ab vrbe Hierosolymorum seu itineris ab ipsis suscepti magnitudinem calculo ita definire licet.

Ex obseruationibus astronomicis a Missionariis ecclesiae romanae in oriente institutis constat, differentiam meridianorum inter Parisios & Hierosolymam esse 33 graduum, latitudinem vero posterioris vrbis $31^{\circ} 30'$, porro differentiam meridianorum inter Parisios & Aspahamum $50^{\circ} 30'$ latitudinem vero huius vrbis $32^{\circ} 25'$. Cf. Cassini tabulae astronomicae & de la Lande notitia motuum coelestium. Susa autem vetus quae hodie exiguum est oppidum Suster seu Toftar dictum, in mappis geographicis accuratissimis distat ab vrbe Ispahan ratione longitudinis $2^{\circ} 30'$ versus occidentem, & ratione latitudinis $50'$ versus meridiem, ex quo sequitur differentiam meridianorum Parisios inter & Susam circiter 48 graduum, & altitudinem poli Susae esse $31^{\circ} 35'$ ex quo simul liquet Susam exactissime versus orientem Hierosolymae sitam esse. Nullas reperire potuimus obseruationes astronomicas, e quibus veteris Sabae situm accurate determinare liceret. Quodsi tamen iis Geographicis, qui oppidum Zibit veterem vrbem Sabam esse statuunt, mappisque geographicis fidem habemus: differentiam longitudinis Parisios inter & Sabam 46 & latitudinem Sabae circiter 15 graduum reperimus. Ergo differentia meridianorum inter Hierosolymam & Susam est 15, inter Hierosolymam vero & Sabam 13 graduum. Facili nunc negotio ipsam harum vrbiū distantiam determinare possumus. Data enim sunt in triangulo sphaerico obliquangulo duo latera, complementa scilicet latitudinum locorum, quorum distantia quaeritur, cum angulo intercepto, quem differentia meridianorum haec loca transeuntium metitur; e quibus datis ope trigonometriae sphaericae tertium latus i. e. magnitudo arcus circuli maximi haec loca transeuntis supputari potest. Ad distantiam igitur Hierosolymam inter & Susam quod attinet, ita concludimus: Radius se habet ad Cosinum anguli, quem meridiani harum vrbiū includunt, cuius magnitudo 15° est, uti tangens complementi latitudinis Hierosolymae, i. e. $58^{\circ} 10'$ ad tangentem arcus, cui in tabulis respondent $57^{\circ} 16'$, quo numero mensura partis baseos, quam perpendicularum ex apice trianguli ductum secat indicatur; porro uti Cosinus huius partis baseos est ad cosinum $58^{\circ} 10'$, ita cosinus differentiae huius partis baseos & totius baseos seu complementi latitudinis Susae $58^{\circ} 25'$ i. e. cos. $1^{\circ} 9'$ ad cosinum arcus, qui distantiam Hierosolymae & Susae in partibus circuli metitur, cui in tabulis

tabulis respondent $12^{\circ} 46'$. Hoc vero arcu iuxta rationem 1 ad 15, in milliaria germanica seu geographica, quorum 15 vni gradui aequatoris respondent, conuerso, prodit distantia Hierosolymae & Susae 191 milliaria germanicorum. Eandem distantiam horum locorum, quorum latitudines parum differunt, alia methodo reperimus, si differentiam longitudinum horum locorum i. e. 15° in numerum 12,76 ducimus, vni enim gradui circuli paralleli, distantis ab aequatore $31^{\circ} 42'$, quae est latitudo media inter amborum locorum latitudines. 12 milliaria geographica & 76 partes centesimae competunt. Ad distantiam Hierosolymam inter & Sabam quod attinet, per eiusmodi computam eam inuenimus $20^{\circ} 34'$ in partibus circuli, seu 308 milliaria germanicorum.

Ex hoc calculo, quod obiter adnotamus, simul liquet, Magos ante praesentationem Christi in templo, quae die quadragesimo primo actus facta est, Bethlehemum vix peruenire potuisse, nisi illis stellam ante natiuitatem Christi apparuisse statuere velimus, quod tamen vetis simile non est. Quamuis enim e Persia iter non maius quam 191, ex Arabia vero 308 milliaria in linea recta habuerint, quod intra sex septimanas omnino absoluere potuissent: flexus tamen viae & dies ad praeparationem itineris & ad quietem in itinere necessarii illud prolongarunt.

At, distantiam patriae Magorum ab vrbe Hierosolymitanorum eam tantummodo ob causam accuratius dimetiri allaborauimus, vt hisce calculis alios superstruamus, qui facere possunt, vt quaenam ipsis stella apparuerit, exploretur. Antequam vero ipsos hosce calculos subnectamus, quatuor de hac stella momenta, quae Matthaei relatio suppeditat, praemonebimus. Primo stellam istam ita constitutam fuisse, vt tum in Magorum patria tum in Iudaea conspici potuerit, admodum est probabile. Magi enim Hierosolymam venientes quaerentesque, vbinam sit recens natus Iudaeorum rex, rationem huius quaestionis addunt: vidimus stellam eius in oriente, Matth. 1, 2. Non dicunt: vidimus stellam, sed stellam eius *τοῦ ἀστῆρα ἀυτοῦ*. Quomodo vero ita loqui potuissent, nisi supposuissent stellam hanc in Iudaea fuisse conspicuam? Equidem non ignoramus, eos hisce verbis simul indicare, quod ex huius stellae apparitione certiores facti sint, regem Iudaeorum esse natum, id quod ex vaticinio quodam Danielis ipsis tradito vel peculiari ipsis facta huius rei reuelatione, cognitum habere poterant. Sed aliter omnino aduentus causam exprimere debuissent, si stellam ab ipsis in oriente visam conspici non potuissent in Iudaea sciuissent. Erant vero Magi Astronomiae periti, adeoque ex ipsius situ apparente per obseruationes institutas facile diiudicare poterant, num hanc stellam in oriente solum, an in Iudaea aliisque quoque regionibus videre licuerit, nec huius stellae, cuius monitu tantum iter susceperant, obseruationes accuratas neglexisse videntur.

Secundo, stella ista nec in Iudaea nec aliis in locis visa est. Etenim Herodem non sacerdotes & scribae, sed Magi demum edocebant tempus, quo stella apparuit. Matth. 2, 7. Nec in profanis scriptoribus ullam huius phaenomeni mentionem inuenimus, siquidem multa aliorum eiusdem vel insequentis aetatis scriptorum loca ab Elsnero aliisque commentatoribus allegata, vel longe aliam stellam vel portenta ficta describunt, & ea quae huc magis pertinere videntur, non ex obseruationibus antiquis sed ex Matthaei relatione desumpta sunt. Cauendum quidem est, ne ex hoc aliorum autorum, qui phaenomena coelestia alia retulerunt, silentio concludatur, vt Elsnerus fecit, stellam istam a Magis solis visam esse, ab alijs vero omnino conspici non potuisse. Nonne enim saepius phaenomena in coelo contigerunt, quae vel ob caelum nubilum vel ob rerum coelestium incuriam vel ob Astronomiae imperitiam vulgi notitiam effugerunt, & vix ab vno alteroque Astronomo obseruata, litteris vero consignata non sunt? Illud tamen, quod postea in vsus nostros conuertemus, exinde sequitur, hanc stellam a Magis visam tantae magnitudinis aut claritatis non fuisse, vt tum in omnium oculos incurreret, tum interdiu non minus quam noctu videri potuerit, quamuis lubenter concedamus quosdam alios coeli obseruatores tum in oriente tum in Iudaea aliisque locis hanc quoque stellam obseruasse, sed, ignorantes eam nati Christi esse nuntium, neglexisse. Tertio, stella ista Magis duabus vicibus apparuit. Primum ab ipsis visa est, cum adhuc in oriente essent, postea eis iterum apparuit Hierosolyma Bethlehemum proficiscentibus. Matth. 2, 2, 9. An Magi in maxima saltim itineris prioris parte stellam habuerint comitem, quod multi precario assumerunt, eam non directionem solum itineris sed omnes etiam viae curuitates monstrasse statuentes, in textu non exstat; contrarium potius tum ex eo colligimus, quod Matthaeus v. 9. expresse dicit, Magos praecessisse eam stellam, quam in oriente viderant, & v. 10. eos illam videntes magno gaudio esse perfusos, tum ex eo, quod non Hierosolymam sed Bethlehemum petiissent, si eiusmodi ducem in itinere habuissent. Quamuis enim Deus hunc Magorum Iesum Hierosolymae quaerentium errorem permetteret, eum in finem vt incolis Hierosolymae hac ratione Salvatorem natum esse annuncietur, ipsum tamen hunc errorem ita tribuere Deo, vt illum miraculoso Magorum duce efficerit, nequiquam conuenit, ob insecutam infantum Bethlehemicorum caedem. Stellam igitur istam Magis antequam in Iudaeam peruenirent, disparuisse eamque per plures dies latuisse contendimus. Varias huius occultationis stellae excogitari possunt causae. Occultatur stella vel a nubibus coelum obtegentibus vel ab alio corpore coelesti opaco interueniente, id quod in eclipsibus solis ac lunae totalibus, nec non in occultationibus fixarum planetarumque euenit, vel a radiis

radii solis, id quod planetis, cometis, stellisque fixis in coniunctionibus cum sole contingit & ab astronomis occasus stellae heliacus appellatur, vel ab horizonte, id quod tum per motum communem, tum per motum proprium stellae, quo in illud quod infra horizontem latet, hemisphaerium secedit, fieri potest, vel denique ita disparet vti stella mira in collo ceti, quae quotannis euanescit, post aliquot autem menses redit, cuius phaenomeni causa nondum est explorata. Inter allatas hasce occultationis stellae causas, secunda locum habere non potuit in stella, de qua loquimur, cum per complures dies continuos latuerit, quatenam ex reliquis sit admittenda nec demonstrare nec aliam huic stellae peculiarem detegere possumus, eam tamen vel a nubibus, vel propter occasum heliacum esse occultatam, maxime videtur probabile. Quarto; Matthaeus refert, stellam istam, quam Magi viderant in oriente, eos praecessisse in itinere Bethlehemitico & substitisse super loco, in quo infantem inuenerunt. Matth. 2, 9. Num hic de motu relatiuo, an de absoluto sermo sit in sequentibus disquiremus.

His itaque praemissis, quaestiones duas ad stellae huius naturam explorandam non parum facientes, ope calculi resoluemus: 1) quatenam stellae huius a superficie terrae distantia necessaria fuerit seu ad quamnam altitudinem eleuata esse debuerit, vt tum in patria Magorum, tum in Iudaea simul conspici potuerit? 2) quatenam eius magnitudo & vera & apparens in hac altitudine esse debuerit?

Ad prius quod attinet, supponemus primo stellam hanc super Iudaea ita fuisse constitutam, vt incolae Hierosolymorum eam in vertice, Magi vero eandem in horizonte occidentali conspici potuerint. Quamnam in hac hypothesi a superficie terrae distantiam habuerit sic indagamus. In triangulo rectilineo rectangulo formato ex lineis sequentibus, radio scilicet terrae in patriam Magorum ducto, radio alio terrae per Hierosolymam ad stellae centrum prolongato seu linea recta ex centro terrae ad centrum stellae ducta, & linea recta ex centro stellae ad extremitatem radii terrae ducta, adeoque tangente patriam Magorum; hoc in triangulo data sunt praeter angulum rectum cathetus altera radius scilicet terrae & angulus ad centrum terrae, quem distantia patriae Magorum ab Hierosolyma in partibus circuli supra definita metitur, iuuenta igitur huius trianguli hypotenusa eius a radio terrae differentia dabit altitudinem stellae. Iam, si Magi fuerunt Persae, calculus ipse per trigonometriam planam hic est: Cosinus anguli ad centrum terrae cuius mensura est distantia Hierosolymae & Susae in partibus circuli, quam supra $12^{\circ} 46'$ inuenimus, est ad Radium, vt radius terrae i. e. 860 milliaria geographica ad hypotenusam cui per hanc analogiam in tabulis respondet numerus 881, 8. Detracto autem radio terrae, resi-

duum

dum 21,8. indicat altitudinem stellae in hac hypothese esse fere 22. milliariam geographicorum. Eandem prodire altitudinem, si quis stellam a Magis in vertice Susae, ab Hierosolymitanis vero in horizonte orientali visam esse supponere vellet, in aprico est. Quodsi Magi Arabes fuerunt, in analogia antecedente angulus ad centrum terrae est $20^{\circ} 34'$ consequenter hypotenusula 918,6, & altitudo stellae fere 59. milliariam geographicorum.

Deinde supponi quoque potest saluo stellae huius criterio primo supra ex historia sacra eruto, stellam in prima apparitione ita fuisse constitutam, ut illa loco cuidam intermedio fuerit verticalis, & a Magis in horizonte occiduo, ab Hierosolymitanis vero in horizonte ortiuo conspici potuerit. In hac hypothese angulus ad centrum terrae in triangulo supra descripto, erit bisecandus, & calculo inito altitudo stellae prodibit, si Magos Persas fuisse dicimus 5,4, si Arabes 14. milliariam geographicorum. Has vero stellae altitudines esse minimas omnium quae in utraque hypothese assumi possunt, euidens est. Quodsi enim minor stellae altitudo ponatur, in hypothese priori, vel Magi vel Hierosolymitani illam ob conuexitatem superficiei telluris conspici non potuissent, in hypothese posteriori vero nec ab illis nec ab his ob eandem causam videri potuissent. Equidem non ignoramus hanc stellam licet paullo depressiorem situm obtinuerit, per refractionem radiorum supra horizontem attolli potuisse, eiusque effectum in huius stellae altitudinem facile calculo definire possemus, verumtamen superfluum foret, cum supponi debeat in utraque hypothese, stellam supra horizontem fuisse elatam, alias enim in vaporibus horizontis ab igne vel lumine in ipsa terrae superficie discerni & pro stella haberi non potuisset.

Ad quaestionem alteram quod attinet, supponere omnino possumus, diametrum stellae apparentem a Magis visam minorem non fuisse diametris apparentibus planetarum. Magi enim tubis instructi non erant. Ponamus eam 30 secundorum adeoque diametro apparenti Martis fere aequalem fuisse, & exinde tum magnitudinem eius veram suppositis altitudinibus supra stabilitis, tum magnitudinem apparentem in illis locis visam, quibus stella in hisce altitudinibus fuit verticalis calculo eruamus. Definienda igitur est in triangulis supra commemoratis cathetus altera i. e. distantia stellae ab oculo observatoris; haec calculo rite instituto inuenitur in hypothese priori 194,9. si Magi fuerunt Persae, & 322,7 milliariam, si Arabes fuerunt; in hypothese posteriori vero 96. si illud & 156 milliariam si hoc statuitur. Cum diameter vera stellae ex apparente, ut Astronomia docet, inueniatur, si distantia stellae ab oculo observatoris multiplicatur per sinum anguli, qui diametrum apparentem metitur: diameter vera stellae a Magis visae in priori hypothese, si
Magi

Magi suere Persae, est 0,02834 milliarium seu 672 pedum rhenolando-
rum, quodsi autem Arabes fuerunt 0,04693 milliarium seu 1113 ped. rhenol;
in posteriori hypothese, si Persae fuerunt 0,01399 milliarium seu
332 ped. rhen. si Arabes 0,02269 mill. seu 538 pedum rhenol. milliare
enim geographicum 23707 pedes rhenolandos duodecimales continet.
Porro cum diametri apparentes sint in ratione inuersa distantiarum:
diameter apparens huius stellae, ab illis quibus fuit verticalis visae, in
hypothese priori, si vel Hierosolymae vel Susae fuit verticalis, esse de-
buit 4' 28" adeoque circiter 20 vicibus maior Venere apparuit, si vero
vel Hierosolymae vel Sabae fuit verticalis 2' 45", adeoque 7 vicibus ma-
ior Venere; in posteriori hypothese & quidem si loco inter Hierosolymam
& Susam sito fuit verticalis 8' 53" adeoque circiter 80 vicibus maior
Venere, si vero loco inter Hierosolymam & Sabam sito fuit verticalis
5' 34", adeoque circiter 30 vicibus maior Venere apparuit, Veneris enim
diameter apparens fere vnus minuti primi est & disci stellarum appa-
rentes sunt in ratione quadratorum diametrorum apparentium.

Haec fere sunt, quae in natura stellae a Magis visae indaganda cal-
culo subiici possunt. Nunc ad varias quas eruditi de ipsa huius stellae
conditione exhibuerunt opiniones supra commemoratas diiudicandas
progredimur.

Primam ex his, qua stellam veram recens creatam e coelo in ter-
ram demissam esse contenditur, plane reiicimus ob rationes sequentes:
1) miraculum enorme & sapientiae diuinae quae mediis scopis maioribus
nunquam vitur, non conueniens (stella enim ista non toti terrarum or-
bi, sed paucis tantum astronomis, qui praeterea vel vaticiniis veterum
prophetarum vel alio modo erant instructi, natum esse Christum an-
nunciabat,) supponit, nouam scilicet corporis mundi totalis creationem
& mox infecutam eiusdem annihilationem, cuius nullum in historia
mundi exstat exemplum. Quamuis enim subinde inter ipsas fixas stel-
lae nouae obseruentur in antiquis fixarum catalogis non obuia & contra
aliae euanescent, quae olim sunt obseruatae: demonstrari tamen nullo
modo potest, illas eo demum tempore, quo primum visae sunt esse
creatas & has in nihilum redactas, admodum potius verisimile est om-
nes hasce stellas esse ex genere stellarum variabilium & mirarum (qua-
les in Ceto & Cygno exstant) perlongas apparitionis & disparitionis ha-
beantes periodos. 2) Stella quaeuis vera, licet in prima apparitione ne
ad lunae quidem distantiam a terra fuisset remota & minor Mercurio ap-
paruisset, si eo vsque e coelo esset demissa vt domum Bethlehemiticam
ab aliis distinguere potuisset, vel omnem Iudaeam combussisset, si pro-
prio

prio lumine antea fulisset, vel terrae appropinquans lumen amississet, si antea mutatio lumine splendisset, in utroque casu tanta magnitudinis apparentis incrementa cepisset, ut ab omnibus non totius solum Asiae sed Europae quoque & Africae incolis conspici potuerit, ob ipsam praeterea magnitudinis apparentis enormitatem domum viam designare non potuisset, & denique ne in terram vi grauitatis continuo crescente in ratione inuerfa quadratorum distantiae a terra, deciderit, nouo miraculo retineri debuisset. De fabulis, quae figuram huius stellae depingunt, opus non est, ut verbum adiciamus. Illud vero addimus, si quis absouam hancce veterum quorundam opinionem ita vellet immutare, ut reiectis omnibus quae aperte falsa sunt, stellam hanc Magorum ex numero stellarum mirarum fuisse, de quibus paulo ante diximus, eam inter fixas per aliquot menses apparuisse, postea plane disparuisse, statueret & ea quae Matthaeus de motu & statione huius stellae refert, non de proprio & absoluto sed de apparente & relatiuo motu explicaret: noua prodiret opinio, illi fere aequipollens, quae hanc stellam cometis annumerat, de qua infra loquemur.

Secunda opinio, a Lightfootio excogitata, qua Magis in oriente splendorem angelorum ad pastores Bethlehemiticos missorum instar stellae apparuisse, statuitur, multo quidem tolerabilior est ea, quam modo refutauimus; plura tamen, quo minus vera dici possit, obstant. Nam, licet praeterritus, hanc opinionem secundam stellae apparitionem in itinere Magorum Bethlehemitico non explicare, diameter vera huius splendoris, per calculos supra expositos, esse debuisset vel 672 vel 1113 pedum rhenol. & distantia eius a terra vel 22 vel 59 milliarum, si Magis vel in Persia vel in Arabia fuisset conspicua. Iam cum Lucas explicite dicat c. 2, 9. hunc splendorem circumdedisse pastores, adeoque splendor hic in ipsam terrae superficiem sit demissus, quis tantae magnitudinis splendore non Bethlehemi solum sed Hierosolymae quoque omniumque vicinorum locorum incolas esse expergefatos & perterritos, Herodi igitur Hierosolymitanisque non Magis demum aduenientibus, Christi natiuitatem innotuisse existimet?

Tertia opinio, qua asseritur stellam Magorum non in coelo, sed in ipsa terrae atmosphaera esse quaerendam meteorisque adnumerandam, viris multis doctissimis praeter reliquis omnibus maxime placuit, itaque calculos superiores eum potissimum in finem instituiimus, ut eam accuratius diiudicare valeamus. Exponemus nunc primum ea argumenta, quae huius sententiae veritatem innuunt, deinde vero, quibus labore difficultatibus non distentur.

Pro

Pro veritate huius opinionis trium saltem supra allatorum huius phaenomeni criteriorum cum meteoris ignito convenientia certat. Nam 1) meteorum ignitum, cum in summa atmosphaerae regione generetur, in locis admodum distitis simul conspici potest. Supra ostendimus distantiam stellae Magorum a superficie telluris minorem esse non potuisse, quam vel quinque, si Magi fuere Persae, vel quatuordecim milliarium, si Arabes fuerunt. Iam, bolis ignita, quae ac 1762 d. 23. Jul. observata & a Viro max. rever. Dn. I. E. Silberchlagio descripta est, iuxta Viri huius doctissimi calculos ex observationibus Ampfurtae, Berolini aliisque in locis habitis, elicitos, cum primum conspiceretur, 19 milliarum a superficie terrae fuit remota, diameter huius meteoris apparens 91', vera autem 506 hexapedarum gallicarum seu 3036 pedum Parisi fuit. Meteorum igitur eiusmodi ignitum, si Magis in vertice loci intermedii inter Magorum patriam & Iudaeam apparuisse statuitur, tum in Iudaea, tum in Persia & Arabia instar stellae conspici potuit. 2) Ratio in aprico est, cur meteorum eiusmodi nec ab Hierosolymitanis nec ab multis aliis observatum sit. Bolides enim ignitae quia celerrimo motu delabuntur & in inferiori atmosphaerae regione dissoluuntur atque evanescent, ab iis tantummodo observari possunt, qui eodem tempore, quo existunt, oculos in eam mundi plagam, ubi apparent, habent intentos, adeoque a plerisque non observantur. 3) Si meteorum tale, minoris tamen magnitudinis, quale a Magis in oriente observatum est, iisdem in itinere Bethlehemitico apparuisse supponitur: illud leni aeris motu impulsum, eos praecedere & vento intermittente in vertice domus subsistere potuit.

Obiectionibus aduersus hanc opinionem motis, quas nunc in medium proferemus, simul ea addemus, quae ab illius defensoribus regeri solent. 1) Phaenomenon quod a Magis, visum est, tum ab his tum a scriptore sacro, qui ob inspirationem diuinam errorem committere non poterat, expresse dicitur $\alpha\sigma\eta\zeta$, quae vox nec in N. T. nec in versionibus antiquis V. T. nec in profanis autoribus graecis significatione meteoris atmosphaerici venit; ad quod regeri solet, tum Magos, tum Matthaicum hocce meteorum appellare stellam ob similitudinem figurae, qua stellam referebat, & deriuata tamen nonnulla vocis $\alpha\sigma\eta\zeta$ ad meteora describenda adhiberi. 2) Meteora eiusmodi admodum sunt frequentia & ab Astronomis saepe plura eadem nocte observantur, consequenter qua ratione vulgare eiusmodi meteorum Magis indicio fuerit Christum esse natum, vix concipi potest. Respondetur, meteorum hocce ob insolitam vel magnitudinem, vel claritatem, vel durationem, vel alias ob circumstantias extraordinarias, nobis incognitas, huic scopo inferuire potuisse. 3) Criterium tertium huius phaenomeni, quod scilicet, tum in oriente, tum multos post dies

idem iterum & in regione atmosphaerae multo inferiore apparuerit, ad meteorum non absque multa difficultate accommodari potest. Existimant igitur huius opinionis auctores, secundam huius meteorii apparationem, vel de diuerso sed simili subiecto esse intelligendam, consequenter verba Matthaei c. 2, 9. ita esse explicanda: meteorum simile illi, quod in oriente viderant, disiectam in nubibus haesisse & vento in Iudaeam delatam, hic vero iterum conglobatam & ad minorem magnitudinem redactam esse, quod tamen absque miraculo perfici non potuisset. 4) Meteora eiusmodi motu celerrimo in terram decidere & in inferiore atmosphaerae regione euanescere solent. Illud, quod Dn. Silberschlagius descripsit intra 2 minuta prima & 28 secunda horae iter 26 milliaria absoluit & cum adhuc $4\frac{1}{2}$ milliaria a terrae superficie esset remotum ingenti crepitu dissiliit atque euauit. Praeterea meteorum eiusmodi vento vehementiore propulsam in directione viae Magorum parallella moueri potuisset, sed tanta celeritate, qua Magi progredi non poterant; vento autem leni actum quomodo vel per dimidiam horam in aere sustentari & quo minus ob grauitatem insitam decideret retineri potuerit, perfici non potest, nisi hic saltim maximum miraculum admittatur. Iam defensores huius opinionones concedunt quidem miraculum omnino hic locum habere illudque esse a Deo peractum cum in finem, vt Hierosolymitanorum consternatione labefactata fides Magorum iterum confirmetur: istam tamen miraculi rationem non esse sufficientem alii contendunt, cum consternatio Hierosolymitanorum effectum longe alium imo contrarium in Magorum animis habere potuerit & Herodes eos certiores fecerit, quod Bethlehemi sint inuenturi regem quem quaesitum venerant, adeoque nullo ad confirmandam fidem miraculo indigerint.

Quarta opinio, quae Stellam Magorum Cometam fuisse exhibet, magnas inter eruditos quosdam nostri aevi excitauit controuersias, postquam Heynius, Rector olim Brandenburgensis, eam cum multis aliis paradoxis defendendam suscepit. Accidit hac in controuersia, quod vulgo fieri solet, vt ab eruditis agitaretur; quorum plerique Astronomiae limina vix transierant adeoque inter iudices versaretur plane incompetentes. Inter ea, sicuti falsa opinio vera non euadit, si argumentis fictis superstruitur, ita nec vera opinio dici potest falsa, si ficta quaedam eiusdem argumenta refutantur. Et ad hanc quod attinet opinionem, de qua loquimur, per multi eiusdem aduersarii in ea refutanda non minus in Astronomiae principia peccarunt, quam Heynius, dum eam tentari conaretur. Reiectis igitur fictis omnibus, quibus Heynius hanc sententiam auxit additamentis,

tis, e. g. cometam Magis motu proprio monstrasse viam, eum interdiu
 esse visum, in vertice Bethlehemi fuisse stationarium instar planetarum,
 cauda in terram protensa domum designasse &c. spretis quoque futilibus ad-
 versariorum eius Astronomiae non peritorum obiectionibus e. g. cometas
 omnes vel a meridie versus septentriones vel directione huic contraria in
 orbitis moueri, cometam si interdiu visus esset, eclipsin solis efficere de-
 buisse &c. videamus num haec opinio cum textu historiae sacrae conci-
 liari possit, eamque ad normam quatuor criteriorum supra expositorum
 exploremus. Primo igitur cometa conspici omnino potuit tum in Mago-
 rum patria, tum in Iudaea. Ponamus planum orbitae huius cometae in-
 clinationem ad planum eclipticae paucorum tantum graduum habuisse, &
 perihelium eius ratione longitudinis distitisse versus occasum circiter tria
 signa a signo, in quo sol versabatur, cum Magi iter susciperent, e. g. so-
 lem in Ariete, perihelium cometae in Capricorno fuisse, cometam ipsum
 vero appropinquantem soli, motu in orbita ab occidente ad orientem, eo-
 dem tempore ratione longitudinis distitisse versus orientem circiter tria
 signa a signo, quod sol peccurrebat: in hisce circumstantiis, quae theoriae
 cometarum plane sunt consentaneae, Magi in oriente Cometam hunc post
 solis occasum supra eam horizontis partem, quae versus Iudaeam erat directa,
 Hierosolymitani vero eundem paullo tardius ob differentiam meridianor-
 um, scilicet vna circiter hora praeterlapsa conspiciere potuissent. Si ta-
 bulam cometarum Halleyanam inspicimus, varios deprehendemus come-
 tas, qui in talibus, quales posuimus circumstantiis alio tamen tempore
 fuere conspicui. Secundo, Magorum tamen cometam nec ab Hierosoly-
 mitanis nec ab aliis visum, & in antiquis phaenomenorum coelestium mo-
 numentis nullam eius mentionem factam esse, mirum non est, cum ipsis
 temporibus nostris cometae insignem non habentes magnitudinem appa-
 rentem vix ab vno & altero Astronomo obseruentur & plurium cometa-
 rum, quorum tamen theoria ex obseruationibus recentioribus ab Halleyo
 aliisque eruta docet, eosdem pristinis quoque seculis saepius apparuisse,
 nulla facta sit a veteribus mentio. E. g. cometa, qui annis 1531, 1607,
 1682 & 1758 obseruatus est, apparuit quoque, vti ex ipsius theoria ab
 Halleyo exposita conuicitur, anno 54 ante aeram vulgarem. a. C. 21, 97,
 172 &c. nullus tamen veterum autorum quidquam de eo retulit. Ter-
 tio cometa iste a Magis in oriente visus, iisdem iterum in Iudaea apparere
 potuit. Ponamus, cometam, cuius orbitam supra descripsimus, eo tem-
 pore, quo Christus natus est, horisque vespertinis primum apparuisse,
 Magos vero duo circiter menses in itinere consumsisse: cometa interea

disparebat ad solem magis accedens, celebrata autem cum sole coniuncti-
 one, e radijs solaribus emergebat & Magis circa mediam noctem Hieroso-
 lyma egressis Bethlehemumque quod vix duo milliaria ab Hierosolyma erat
 distitum, ante solis ortum peruenientibus in hoc itinere iterum apparebat
 in horizonte orientali. Quodsi vero quis in dubium vocare vellet iter
 Magorum media nocte esse susceptum, nihil est quod impediatur, quo mi-
 nus in descriptione superiori huius cometæ, motui cometæ in orbita ad
 ordinem signorum, substituatur motus ab oriente in occasum, & ponatur
 Magos iter prius facientes, eum horis matutinis vidisse, post meridiem
 vero Hierosolyma exiisse & nocte ingruente Bethlehemum peruenisse, co-
 metam antea in horizonte occidentali fulgentem animaduertentes. Ete-
 nim in tabula Halleyana totidem fere sunt cometæ retrogradi ac rectogra-
 di & Matthæus non dicit eos stellam ante ipsas Hierosolymæ portas sta-
 tim detexisse. Quarto, criterium vltimum stellæ Magorum ad cometam
 neutiquam accommodari potest, si verba Matth. 2, 9. de motu absoluto
 & vero eiusque cessatione vera explicantur. Cometa enim neque motu
 proprio, ob nimiam a terra distantiam, motusque huius licet reuera celer-
 rimus sit, tarditatem apparentem; neque motu communi, quo stellæ
 omnes ab ortu versus occasum feruntur, Magis versus Euroaustrum pro-
 ficiscentibus, viam monstrare poterat; cometam vero supra domo ita
 stetisse vt illam ab alijs distinguere potuerit, ex quacumque parte Magi hanc
 domum adierint, prædicatum est, quod hoc sensu sumtum ne cogitatio-
 ne quidem corpori coelesti tribui potest, ob rationes, quas in prima opi-
 nione refutanda attulimus. Verum enimvero nihil plane est, quod exi-
 gat, vt verba Matthæi, quibus motum & stationem stellæ Magorum de-
 scribit, hoc sensu sumantur. Matthæus non dicit, stellam Magis viam
 omnesque eius flexus inde a portis Hierosolymæ vsque ad domum Beth-
 lemeticam instar comitis ac ducis monstrasse, nec opus ipsis erat tali duce,
 cum incolæ Hierosolymitani ipsis viam qua Bethlehemum peruenirent, in-
 dicare potuerint, porro non dicit, stellam in domus fastigio quiescuisse;
 sed verba eius hæc sunt: cum Herodem audiissent, abibant & ecce,
 stella quam in oriente viderant, præcedebat eos, vsque dum veniret ac
 staret supra, vbi erat infans. Num hic de motu stellæ absoluto & vero
 an de relatiuo & optico sermo sit, nullo ex alio in textu obuiò indicio
 diiudicari potest, quam ex subiecti conditione; talia enim per vulgarem
 Hermeneuticæ regulam sunt prædicata qualia permittuntur a suis subie-
 ctis. Iam ex argumentis supra allatis admodum est probabile subiectum
 esse stellam veri nominis, de qua prædicata ista, si de motu absoluto &
 vero intelliguntur, valere plane non possunt; aequè igitur est probabile, ea
 de

de motu relatiuo & optico esse intelligenda, tertium enim non datur, nisi aliud subiectum substituatur. Praedicata autem stellae a Matthaeo allata, si de motu relatiuo ac optico intelliguntur, cometae plane conuenire, ex vulgari constat experientia. Quod si scilicet quisquam noctu iter facit & in itinere cometam vel aliam quamuis stellam imo nubem remotam in opposita oculis caeli regione contemplatur; corpus hocce remotum, licet vel motu absoluto per aliquot coeli gradus interea in quamcumque directionem moueatur, vel quiescat, semper tamen per regulas opticas in eam in quam iter est directum plagam progredi & viatorem praecedere videtur, dum ipse in terrae superficie progreditur, stare autem videtur, dum ipse pedem sinit & stare super domo vel arbore videtur, si domus vel arbor in linea recta ab oculo viatoris ad corpus coeleste ducta, imo in eodem tantum plano ad horizontem perpendiculari, quod oculum viatoris & stellam transit, sita est. Verba igitur Matthaei c. 2, 9. ita commode circumscribi & explicari possunt: Stella quae Magis in oriente apparuerat, iterum ab iis obseruabatur cum Hierosolyma egressi Bethlehemum tenderent, & semper ante oculos versabatur donec domum quamdam Bethlehemicam detegerent, quae in linea recta a loco vbi hanc domum primum conspiciebant ad stellam ducta sita erat, in cuius igitur fastigio stella subsistere videbatur, hanc ingressi domum ibidem inueniebant infantem quem quaerebant. Haec interpretatio nec miraculum quoddam a Matthaeo silentio praetermissum supponit, nec vllam verbis textus vim infert, sed communi potius scripturae sacrae, dum phaenomena coelestia describit, loquendi modo plane est consentanea. Ad postremum scilicet quod attinet, vt ex multis vnum adferamus exemplum, in libro Iosuae c. 10, 12. 13. commemoratur Iosua dixisse: Sol sta super Gibeon & luna in valle Ajalon, solemque & lunam subsistisse. Equis sibi persuaderet solem e coelo descendisse & in tectis vrbs Gibeon haesisse? Ipsi systematis copernicani aduersarii acerbissimi, solis motum progressiuum absolutum tunc cessasse statuentes, concedunt hisce saltim verbis: super Gibeon, locum solis relatiuum & opticum designari. Locutiones eiusmodi per contemptum dicere accommodatas ad captum vulgi, plane non conuenit, ipsi enim astronomi non in communi solum vita, sed in ipsis quoque scriptis astronomicis iisdem vtuntur, siquidem locutiones eiusmodi phaenomena coelestia tantummodo indicant, nec causas eorum simul exprimunt. Hic vero locutionum eiusmodi sensus cum in scriptis Astronomorum, aliisque S. S. dictis locum habeat, cur in illis, quibus stellae Magorum phaenomena describuntur verbis, non esset admittendus? Sic inter aduersariorum quartae opinionis obiectiones, ea, quae maximam
 praec

prae se ferre videtur speciem omnis fere euanescit. Interea ex his omnibus nondum sequitur stellam Magorum necessario fuisse cometam exclusis reliquis omnibus sententiis, illud tantum sequitur, stellam istam cometam esse potuisse.

Quodsi igitur quis statuere malit stellam Magorum fuisse ex genere stellarum nouarum seu mirarum: ea fere omnia quae de cometa diximus, ad hanc sententiam nouam transferri & vt illa valeat efficere possent, alia tantummodo disparitionis causa ex supra allatis substituenda esset, hancce scilicet stellam ob coelum nubilum per dies complures latuisse.

Ad quintam denique opinionem, a lac. Elsnero in symbolis literariis Bremensibus expositam, omnem scilicet stellae apparitionem fuisse visionem Magorum propheticam, cam absque longa disquisitione mittimus, cum talia stellae a Matthaeo afferantur praedicata, quae visioni ecclatiae plane non conueniunt & omnis haec opinio argumento precario assumto. stellam nimirum a nemine praeter Magos videri potuisse sit superstructa.

Inter varias igitur, quas exposuimus, de stella Magorum opiniones, tres sunt ita comparatae, vt & intrinsecam habeant probabilitatem & cum textu Matthaei possint conciliari. Vterius in definienda natura stellae, cuius perbreuis in S. S. nulla vero in aliis scriptis antiquis exstat mentio, progredi vix licet. Quamnam igitur ex tribus hisce opinionibus stellam Magorum vel meteorum ignitum, vel cometam, vel stellam miram esse, lectorum quisque praefere & amplecti velit, ipsius relinquimus iudicio.

Vos vero, Ciues, vt sacram Magorum historiam in vsus vestros conuertatis, & eorum exemplum in attentione, qua opera diuina in naturae & gratiae regno contemplabantur, in obedientia, qua primis vocationis diuinae iudiciis excitati, eidem morem gerebant, in fide, qua domesticarum rerum curam, ciuium contentum, itineris molestias, aulae Herodis pericula, humilitatis & miseriae inuenti regis scandalum multaque alia offendicula superabant, in amore, quo Saluatori numera offerebant & denique in reuerentia animique submissione summa, qua ipsum adorabant, imitemini, exhortamur. Illis stella apparuerat, Vobis sol Euangelii splendet. Firmius enim, vt Petrus monet, habemus verbum propheticum, & bene agitis, si ad illud attenditis, tamquam ad lumen obscura collustrans loca, donec dies illucescat & phosphorus exoriatur in cordibus vestris.



78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507



Sb.

Hi. 100.





PROGRAMMA
DE
STELLA QVAE MAGIS
NATO CHRISTO

APPARVIT,
FERIIS NATALITIIS

PROPOSITVM
A
RECTORE ET SENATV
ACADEMIAE REGIOMONTANAE.



ANNO

MDCCLXVI.

REGIOMONTI,
TYPIS HARTVNGIANIS.

Author J. Gottlob Christian Reissner

